



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 36. Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam. v 33.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ista nocte) quia ut dicit S. Hieron. quomodo qui inebriantur, sic & qui scandalum patiuntur in nocte & in tenebris sustinent.

**D**omine Deus, qui nunquam scandalum activum dedisti ulli hominum, da obsecro de tua plenitudine infirmo mihi hanc gratiam ut & ego conturber quoties audio vel scandalum fieri vel peccatum nominari: caveam vero ne ullus meo malo exemplo vel peccato scandalizetur, vel ad malum inducatur.

§. 35. *Scriptum est enim percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis. v. 32.*

Dum ita turbatos discipulos Jesus videret ob verbum scandali, nescientes unde id posset oriri, diutius eos suspensos tenere noluit, sed causam eis dixit quia scriptum est (Zach. 13.) *percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis*, hoc est, me pastorem vestrum percutiet Deus pater meus, & ubi percussus, captivus, ligatus, fuero dispergentur greges mei, Vos, o mei discipuli, fugam capietis, quia in eo tempore me pastorem amplius non profitebimini, sed me negabitis per fugam, & bene ait Propheta & Dominus ipse; *Ovis*: Ovis quippe est animal tam rude & indoctum, ut semel perditum nesciat invenire pastorem nec gregi se coniungere, quin, nisi requiratur, magis magisque aberrabit.

**T**alis, o Pastor bone, Ovis ego sum; erravi & erro quotidie a te sicut ovis que perijt, & nescio redire ad te sine gratia tua, require ergo servum tuum Domine, maxime dum turbatus fuero passione aliqua vel nunc vel in hora mortis: maxime ob peccatorum recordationem, quæ, eheu nimis multa & gravia sunt. Succurre ergo mihi obsecro gratia tua, B. V. M. matris meritis, mitte Angelum & Patronum Tutelarem, qui me ad causam tuam reducat vel suggerat verba bona, verba scientiæ, bonitatis, disciplinæ, & sanctæ spei per merita tua ne dispergat a te, aut separet in æternum.

§. 36. *Postquam autem surrexero, precedam vos in Galilæam. v. 33.*

Hæc sunt verba illa consolationis quibus prævenisti o Christe, tristitia & terrore repletos discipulos ob tui discessum, nimirum ais: Modo sumus in Judæa, ubi me querunt occidere, & sane occident, sed & ego resurgam occisus, & ita integer & vegetus ero, ut vos non occisos, nec verberatos præcedam in Galilæam, ut statim ibidem me & redivivam & gloriosum videatis, & præsentia dulci fruamini.

**D**omine dic & animæ meæ in hora mortis verba consolationis, scilicet Ego Jesus Redemptor tuus, resurrexi a mortuis ad vitam a mortalitate

te ad immortalitatem, à miserijs ad omnē felicitatem, à luctu ad omne gaudium, tu veni quoq; , veni de libano Ecclesiæ meæ, veni coronaberis Sponsa mea, vade & frue me gloriosissimo Salvatore tuo non in terris modo sed in cœlis. ita fiat. Amen.

§. 37. Respondens autem Petrus, ait illi, et si omnes scandalizati fuerint in te ego nunquam scandalizabor. v. 34.

Audi anima fidelis, Petrus ait anne possibile ut ego possim in homine tam probo, tam sancto in verbis & factis, Domino meo & Deo meo, Propheta tam magno & vero Messia, pro salute nostra misso è cœlis in terram, qui omnia operatur brachio potentæ suæ scandalizari? absit, nimis te benè novi, ô Christe, tuum animum benevolum, benignum, mansuetum sine felle sine dolo perspectum habeo, ex quo igitur possum scandalizari! quidquid est in te id totum sapit bonitatem, sapientiam, justitiam. O miseri mortales nos! quoties imaginamur nobis constantiam in virtutibus? quoties firmiter proponimus de non avertendo animo à Christo Domino? quoties in abundantia consolationis dicimus cum Propheta *Ego autem non movebor in æternum!* & tamen quoties relabimur? & quoties in die, ad horam, ad momentum mutamus propositum? quam cito scandalizamur de proximo? etiam sanctis Dei & electis? de ipsis virtutibus & probitate? ubi nullam causam habemus nisi quia præter vel voluntatem nostram vel opinionem accidit, inde finire & dicta & facta & mores iudicamus proximi!

**H**eu misero mihi qui toties hæc factitollucurre Deus tantæ infirmitati, in proximo scandalizari veta, & ubi apertè aliter non constat eius dicta semper & facta, & mores bene interpretari, doce me, & mihi in corde dicta iudicium.

§. 83. Ait illi Iesus. Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. v. 35.

Cum assecuracione tanta affirmabat Petro Christus, ut adiungeret formulam *Amen*, & quidem per circumstantias hæc scilicet *noctis*, & *tertio*, & *antequam gallus de nocte cantet*, hinc ipsum adhortando, ne sibi nimium fideret, ne de sua constantia præsumeret, hominem se crederet, valde mutabilem. Petre desine viribus humanis fidere, solus Deus perfectus, constans & immutabilis, tu, ô homo, ad quamvis auram flexibilis es quid igitur tibi fidist? qui nescis quid ferus vesper vehat? desine Petre, & crede te & tua Deo, ipse enim solus est, qui te salvum facere, & constantem in bono proposito virtute potentæ suæ servare potest, & cum ille dicat te erraturum, te male acturum &c, crede ei, crede.

Domini